

TERTIVS.

Hinc ad principium primi anni regni Augusti 294, anni, & hoc principium fuit primo die mensis thus, & in media die, hinc ad dictam observationem 161. anni, & 66. dies, & duæ horæ. Igitur à principio regni Nabuchodonosaris, quod fuit in principio mensis Thus in media die præcedenti usq; ad horā huius considerationis fuerunt anni ægyptij 879, 66. dies, & duæ horæ. Motus Solis medijs in hoc tempore post integras revolutiones, fuit secundum positionem eius 21. gr. & 25. m. quem si minuemus à loco Solis equali, in dicta cōsideratione remanebit locus Solis æqualis. 45. m. primæ partis Piscium in principio primi annorū Nabuchodonosaris. Secundum hoc exemplum in alijs facito. Fuit autem dicta Ptolemæi cōsideratio post principium annorum Christi 131. annis ægyptijs 301. diebus 2. & horis 25. Nam à principio annorum Nabuchodonosaris, ad initium annorum Christi transiuerere. 747. anni ægyptijs, & 130. dies.

PROPOSITIO XXII.

Dies naturales dupli causa inæquales esse.

¶ Dies naturalis dicitur tempus revolutionis Solis per motum primi mobilis ab horizonte aut meridiano donec ad ipsum redeat. Sic quantum temporis est à puncto meridiei in punctum meridiei, tanta est dies naturalis. Et hoc est tempus in quo revoluitur totus equinoctialis, & ultra hoc tanta portio equinoctialis, quanta correspondet ei arcui eclipticæ, quem in illo tempore Sol perambulat. Hoc autem additamentum duabus de causis diuersificatur. Vna quidem quod Sol in temporibus æqualibus inæquales arcus de orbe signorum abscondit. Alia quod arcus æquales eclipticæ inæquales habent ascensiones tam rectas & obliquas. Oportet igitur propter additamenta hæc dupli causa diuersificata, dies naturales inæquales esse, quod est propositum.

¶ Ex hoc patet hos dies naturales qui differentes dicuntur, non esse in eis suram motuum aliorum, cum inæquales sint. Oportuit igitur in mensuram huiusmodi alios dies qui æquales essent assumi. Hac ratione unus annus Solis est tempus, in quo totiens revoluitur equinoctialis, quotiens est unitas in numero dierum anni reperti iuxta doctrinam secundè huius, addita revolutione una, quæ revoluitur cum motu Solis vero petracto in uno anno à Sole. Diuiso itaq; hoc numero revolutionum per numerum dierum anni, egreditur quantitas diei mediocris, scilicet revolutione una equinoctialis cum additamento 59. minutorum, octo secundorum equinoctialis, iuxta quantitatē medij motus Solis in die. Hæc vero additamenta sunt inter se æqualia, hinc constat mediocres inter se esse æquales. Palam est igitur dies naturales differentes unum ab alio atq; à mediocribus differre. Et licet unus dies differens parum à die una mediocri differat & insensibiliter, in pluribus tamē diebus hæc diuersitas collecta, quantitatē de qua curandum est efficit, ut patebit infra.

PROPOSITIO XXIII.

Causa inæqualitatis dierum propter diuersitatē motus Solis proueniens ab altera longitudinū mediariū incipit, & ad oppositam finit. Plurimumq; differentiae ex hoc collectæ duplū est maximæ diuersitatis motuum æqualis & differentis in Sole.

F Ideo